



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De quarto Stellato S. Gulielmo Vercellensi, fundatore Monachorum montis Virginis. cap. LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

De quarto Stellato Sancto Gulielmo Vercellensi, fun-
datore Monachorum Montis Virginis.

Cap. LI.

Quartus, qui inter stellatos Abbates, in habitu potius seculari, quam Monachali, & sine Monastica tonsura cernitur, duos diuersorum Ordinum fundatores, Humiliatorum scilicet, qui nunc extincti sunt, & Montis Virginis representat, de quibus sigillatim à nobis dicendum est.



Ro Montis Virginis in Apuliz partibus primum institutus circa annum Domini 1120. per Sanctū Gulielmum. Hic Vercellis ex pijs & nobilibus parentibus natus, pueritię annos in studio diuinarum lectionum consumpsit: deinde mortuis iam parentibus peregrinari cum instituisset, in Hispaniam primum ad S. Iacobum delatus, in Galicia magnū probitatis & sanctitatis specimen dedit: & ex ea peregrinatione redux, ut carnem spiritui seruire cogeret, Loricam ferream fabricari iussit, qua indutus, mirum in modum in utroque homine profecit. Tactus deinde desiderio terram Sanctam inuisendi, post multa in itinere perpetrata miracula, ab eo diuinitus reuocatur, & Religioni nouę fundandę se pręparare iubetur. Sic iussus, ad Virgiliani Montis radices pedem fixit (hunc Virgilius, vt fertur, quondam inhabitabat, & ex suo nomen Monti dederat) & Monasterium Sacratissime Marię Virginis constituit, unde postea quibusdam litteris inmutatis, Mons Virginis appellatus est, optimis que legibus atque institutis, informauit: Quę cum Monachis suis, quos scientia inflarat, difficiles nimium & asperę uiderentur, ab iisdem multa dura sustinuit, quorum furori cedendum ratus, Alberto uiro Sancto in sui locum substituto, quinque tantum Monachis comitatus discessit, & in Montem Lacenum primum, ubi multis diuinis uisionibus recreatus est, Salernum exinde commigrauit: & Ordinis sui fundamenta, sua sanctitate pluribus in locis mirabiliter dilatauit. Tandem mortem sibi propinquam sentiens, ad Monasterium Sanctimonialium S. Saluatoris de Gulieto accessit, ibique uigijs & Orationibus uacans, quam deuotus peregrinus inceperat, & in ea ut intrepidus perseuerarat miles,

Sanctissimus Monachus, & Eremita vitam finijt, anno Domini 1142. die septimo Ianij circa horam noctis mediam. Corporis reliquie hominibus relicte in eodem Monasterio, quod nunc nominis eius uocabulum retinet, sepultæ sunt: Anima uero Angelorum socianda choris Cælos penetrauit. Monachorum primus habitus Candidus, Humiliatorum, uti a nonnullis intellexi, omnino persimilis: mutatus deinde forma, non colore simul cum Regula eiusdem Patris, in Regulam S. P. N. Benedicti, suæq; Religionis Casinensis habitum, sed aliquot post annos, transformata sunt.

Beatus Albertus Fratibus a S. Gulielmo discedente, Abbas datus, in omni sanctitate oues sibi concreditas, toto eiusdem Patris tempore, rexit Monachos sapientia sua inflatos, ad humilitatis semitam reduxit, Monasterium in meliorem statum reparauit, & in tantum carus omnibus fuit, ut Sancto Patre Gulielmo defuncto, ad eius uices gerendas unanimi omnium consensu electus sit. Quam ille provinciam humiliter recusauit, & ut illam susceperet nec minis, nec blandimentis ullo modo adduci potuit, fugam minitans, si ad quod nollet, cogeretur. Intelligebat enim uir Sanctus, Sepe sapius superbiam & ambitionem in Prælatibus, & dignitatibus, latere, & ideo abiectus esse in domo Dei desiderans, ut alius eligeretur effecit, & postquam uitam, eamque sanctissimam duxisset, moriens, in Cimiterio Ecclesiæ suæ sepultus est.

Generales Abbates Ordinis Montis Virginis.

Cap. LII.



ROBERTVS, uir Religiosus, & prudens, anno 1142. statim post mortem Sancti Gulielmi, primi Monachorum Montis Virginis institutoris, a Fratibus qui tum aderant, in locum Alberti, qui eam dignitatem recusarat, primus Abbas Montis Virginis electus, inter alia priuilegia quæ ab Alexandro Papa 1111. sibi, & suis successoribus donari impetrauit, illud præcipuum fuit, ut fratribus suis liceret, Regulam S. Gulielmi relicta, quæ nimis aspera, & dura uidebatur, Regulæ Diui Patris Benedicti colla supponere, quod ab eo initio susceptum, nostra etiam grate retinetur. Et cum sancte, & iuste aliquot annos Congregationem gubernasset, feliciter obdormiuit in Domino.

Beatus